Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Reginonis chronicon - Cod. Aug. perg. 232

[S.l.], [2. Hälfte des 11. Jahrh.]

Regino: Chronik: praefatio

urn:nbn:de:bsz:31-58282

cronica

CCXXXII

& tocius philosophie studiis mul
tiplici insignito dono adalberoni
episcopo. Regino quamvis omnium xpicolarum
extremus. vestre tamen sublimitati in omnibus
devotissimus. fidelia mandat orationum obse
quia. Chronica quae de nostris & antecessorum nostrorum
temporibus litteris comprehendi. vestre singulari pru
dencie examinandam transmisi. ut vestro perspicaci
iudicio. aut approbetur. aut eliminetur. Quam in duobus
libellis distinxi. exordium capiens a primo incarna
cionis dominice anno. & consummans ceptum opus
usque in presentem annum. qui est a prefata incarna
cione domini nongentesimus. viii. Indignum & enim
mihi visum est ut cum hebreorum grecorum atque romanorum
aliarumque gentium historiographi res in diebus suis
gestas. scriptis usque ad nostram noticiam transmiserint.
de nostris quamquam longe inferioribus temporibus ita
perpetuum silencium sit. ut quasi in diebus nostris aut
hominum accio cessaverit. aut fortassis nil dignum
quod memorie fuerit commendandum egerint. aut
si res memoratu digne geste sunt. nullus ad hec
litteris mandanda idoneus inventus fuerit.
notariis per incuriam ocio torpentibus. Hac namque
de causa non passus sum tempora patrum nostrorum ex nostra
porcione intacta preterire. sed ex multis pauca no
tare curavi. Et ubi ad presencia tempora ventum
est stilo temperavi. propter quorundam offensam

qui adhuc sunt superstites. latius hec posteris exeq
uenda relinquens. Accipite ergo hoc paruum mu
nusculum ea benignitate qua deuocione missum est
a mea paruitate. In calce autem obsecro lectorem ut si illi
hec nostra dicta qualiacumque sint placuerint. et ea sibi
describi uoluerit. hanc prefatiunculam nullatenus
omittat. Gloriam celsitudinis uestre multorum utilitati
bus profuturam. superna prouidentia diu incolumem conser
uare dignetur. EXPLICIT PREFATIO

Multi decertant et adhuc sub iudice lis est.
Feminei generis uel neutri chronica constent.
Sed nobis pocius neutro conferre uidetur.

Incipit chronica Reginonis ad Treuerensem episcopum Adalberonem

Anno imperii cesaris octauiani xlii ihesus christus
filius dei natus est. Eadem nocte ab angelis eu
angelizatur. a pastoribus uisitatur. Octaua die
circumciditur. xiii. die stella duce a magis adoratur.
et mysticis muneribus predicatur. xl^mo die in templum cum obla
tione a parentibus inducitur. A symeone suscipitur
ab anna cognoscitur. post hec in egiptum deportatur
ubi mansit usque ad obitum herodis. CAP. II.

Anno dominice incarnationis. ii. herodes mit
tens in bethleem. et in omnibus finibus eius pueros inno
centes iugulare precepit. deinde in domesticos
arma conuertens multos peremit. dilectam sibi coniugem
interfecit. filios quos ex ea susceperat aristobalum
et alexandrum in samaria strangulari iubet. nouissi
me antipatrem ex dodise natum. incentorem et omnium
malorum insidiatorem percutit. Post hec miserabili morte
periit.